

in hac firmos fide ideo dictum lapidem qui durus erat & fortis ut simili modo in fide qua erant constantes manerent & firmi eisdem dedit in signum set causam ignorantes lapidem in puteum proiecerunt & subito flama ingens cepit per os putei euolare & considerantes signum esse magne uirtutis ualde perteriti sunt & eos penituit de comiso & de hoc ignem ad eorum patriam portauerunt & in quamdam ecclesiam diuitem posuerunt & ibi semper ignis ille comburit & ardet & habitantes ibi dictum ignem tanquam deum adora[n]t & omnia sacrificia illorum cum dicto igne decoquunt & hec est causa quod h[ab]itantes in illa patria ignem adorant omnia uero predicta illi de castro retulerunt domino Nicholao paulo per ordinem ut est dictum unus dictionum fuit de ciuitate saba alius de aua & tertius de caxan. // — |

*quare ignem adorant ex quo lapide errauerunt adorantes ignem*

8r° **N**oueritis quod persya est quedam regio ualde magna in qua quidem plura sunt regna quorum nomina inferius describuntur primum regnum quod est in principio uocatur chasuin secundum quod est uersus meridiem uocatur. curdistan tercium Lor quartum suolistan qui[n]tum yspaan sextum çiraç septimum Soticara octauum tunocain quod est in exitu persie omnia ista regna sunt uersus meridiem preter Tunocain solum quod est prope arborem sicum. in istis regnis sunt multi sonipedes ualde pulcry sunt etiam ibi pulciores asini & maiores de mundo qui multum pluri uenduntur quam equi & hec est ratio quia parum comedunt onera magna ferunt. & multum uie peragunt una die. set equi neque muli tantum posse[n]t sustinere laboris. nam marcatores de partibus illis cum de una prouincia ad aliam peragunt per magna transeunt deserta uidelicet loca arenoxa arida & sicca herbas non producencia uel aliqua que ad uictum equorum fuerint oportuna & etiam propter distancias puteorum & aquarum dulcium oporteret eos longas facere dyetas si uolunt quod bestie habeant ad bibendum & quia equi hoc sustinere non posent ideo mercatores solummodo asinis illis utuntur cum sint ueloces. & bene quadrupedantes ac paucioribus conducantur expensis. qua de causa pluri uenduntur quam equi & nota quod in yndia tantum feruens calor est quod equi nulo modo ibi posunt nutriri nec nascuntur & si quis nascitur monstruosus nascitur scilicet defectiuus in membris & deformis. nullius preci uel

8v° ualoris in supradictis regnis sunt gentes multum crudeles & omicide. | nam singulis diebus mutuis uulneribus se occidunt & multum uiatores mercatores dapnificarent continue nisi timore orientalis dominj cogerentur omnes uero obseruant legem macometi eorum propheta ibi laborant panos aureos & de syrico ac cuiuslibet maneriei ibi habeatur habundantia omnium fructuum & vini set posset quis dicere saraceni uinum non bibunt nam hoc prohibet lex eorum ad hoc respondeatur. quod itta glosant textum sue legis. quod si uinum tantum buliat ad ignem ut consumatur in parte & dulce fiat. bene posunt bibere absque fractione mandati

*isti obseruant legem macometi*

*nota expositionem de uino inuenta ad bibendum*